

tur psalmo XXVIII. Init: *Dies Epiphaniarum grego nomine sic uocatur. Quod enim apparitionem &c. Citatur nempe in hoc Serm. illud Psalmi 28. Vox Domini super aquas. Ceterum spurius est, et quaerendus Adpend. col. 246.* 10) *Incipit Sermo Sancti Augustini Episcopi De Quadragesime. Ita: Moyses quadraginta diebus &c. Collocatus in Adpend. col. 255. ubi aliquot lineae: Adest nobis venerabile &c. praecedunt.* 11) *Incipit Omelia in Uigilia Pasche. Ita: Domini nostri ihesu christi saluatoris et honorabilis solemnitas sua fauente clementia &c. Emendatius initium dabo in Homiliario Sec. XI. verum et ibi fatebor, Autorem mihi compertum non esse.* 12) *Incipit Omelia Sancti Augustini episcopi De Prima Die Pasche. Ita: Non queo fratres karissimi quod mente concipio &c. Reposita in Adpend. col. 282.* 13) *Item Sermo Sancti Augustini de Pascha Domini Init: Pascha christi dilectissimi regnum est caeli &c. Pariter in Adpend. remissus col. 292.* 14) *Omelia Sancti Augustini episcopi In Natal. Sancti Iohannis Baptistae. Init: Natalem sancti iohannis fratres karissimi hodie celebramus &c. Denuo subposititia et nunc in Adpend. col. 329.* 15) *Incipit Omelia In Natale Apostolorum Petri et Pauli. Ita: Cum omnes beati apostoli parem gratiam &c. Etiam Ambrosio et Maximo tributus legitur in Adpend. col. 335.* 16) *Omelia In Natal. Mar-*

*tyrum. Init: Cum omnium sanctorum martyrum &c. Maximi Taurin. est, ut habes edit. Rom. 1784. col. 261. f. 17) Incipit Sermo Sancti Augustini de Natale Sancti Stephani. Ita: Ihesus filius naue in heremo pugnabat &c. Parum abfuit, quin a Maurianis in Adpend. rejiceretur; legitur tamen T. V. col. 1482. In calce Exempli nostri habet Formulam Augustinianam: *Conuersi ad Dominum &c.* 18) *Incipit Alius eiusdem. Ita: Quoniam uideo nostras disputationes grauo &c. Et iste collocatus est merito in Append. col. 359. lineisque 15. ultimis multatus in Codice. Ergo ex tot Sermonibus unicus indubitato genuinus, quem tamen e collatione multum infra editorum perfectionem deprehendi.**

LXXVIII.

Codex membraneus lat. Sec. R. 3245
XIII. Folior. 160. 8. per duas columnas nitidissime scriptus, coloribus illustratus, et quondam Bibliothecae Civicae Vindobon. est *Novum Testamentum* praevio *Calendario*, quod, quam infrequens Sanctorum Nominibus, tam repletum rudibus *Picturis Signorum Zodiaci* et *Operum rusticorum*, atque ejusmodi terribiles visu formae, ad quas nec auro quidem pepercit *Miniator*, etiam deinceps ad initia sacrorum *Librorum* passim occurrunt. Placent *Versus* singulis *Mensibus* subscripti:

Principium Jani sancit tropicus Capricornus.
Mense Numae in medio sol distat sidere Aquar I.
Procedunt duplices in Martia tempora Pisces.
Respicis Apriles, Aries Phryxae! Kalendas.
Majus Agenorei miratur cornua Tauri.
Junius equestres coelo videt ire Laonas.
Solstitio ardentis Cancri fert Julius astrum.
Augustum mensem Leo fervidus igne perurit.
Sidere, Virgo! tuo Bacchum September opimat.
Aequat (et?) October sementis tempora Libra.
Scorpius hibernum praiceps jubet ire Novembrem.
Terminat Arcitenens medio sua signa Decembri.

Ordo Librorum hic est: IV. *Evangelia. Actus. Epistolae Canonicae*, ubi *Job. I. c. 5.* Testimonium terrestre integrum a prima manu coelesti integro praepositum est. *Apocalypsis. Epistolae Pauli*, quarum quae ad *Colossenses* est, inter *Epistolas ad Timotheum* et *Titum* ponitur, et spuriam ad *Laodicenses* post se trahit. Finem facit *Lectionarium* totius Anni, in quo post omnes Dominicas habetur *Dominica de Trinitate*. Codicem in *Italia* scriptum fuisse arguit *Madius, October.*

Fol. 158. p. 2. currente Sec. XIV. calamo per 7. columnas continuata, nec tamen finita adjecta est Fabula insignita: Interrogatio iohannis apostoli et evangeliste in cena secreta regis celorum de ordinatione mundi istius et de principe et de adam. Initium tale: Ego Johannes particeps in tribulatione et regno dei ubi essem particeps quia et recumbens in cena super pectus ihesu cristi domini nostri, dixi, domine, quis tradet te. et dominus dixit mihi, qui intinxerit manum in catino et introibit in eum satha-

*nas, ille tradet me. Et dixi, domine antequam sathanas cecidisset, in qua gloria assistebat apud patrem? Hinc jam somnia impostoris. Inter alia: Diabolus intravit in paradysum et plantavit arundinem in medio paradysi, et de sputo suo fecit serpentem, et precepit ei in arundine manere &c. Meminisset certe impudentis hujus Commentii in *Cod. Apocr. Novi Test. Fabricius*, si vulgo notius foret.*

LXXIX.

Codex chartaceus boh. Sec. R. 2128 XV. Folior. 318. f. per duas columnas luculente exaratus et rubro enotatus *Novum Testamentum* integrum est e recensione *Martini Lupacii*, de quo *Viro dixi Vol. I. P. 2. col. 2388. et P. 3. col. 2899.* Est haec Recensio, ut me docuit *Cl. Joseph Dobrovius*, emendatior *Exemplo Zierotiniano* hoc *Vol.* relato, sensum difficilioribus in locis phrasi genuina *Bohemica* exprimere studuit, proximeque recensio-nem omnium postremam in *Mss.* praecedat. Post *Apocalypsin* hanc habet